



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De imagine sanctae Catharinae, ibidem, cap. 83.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**I**N eiusdem sacrae virginis, scilicet Luthildis, altaribus, pro ornatu, imago gloriosae martyris & virginis Catharinae lignea & sculpta decenter stare consuevit: die quadam matrona quaedam honesta, Alheydis nomine, vxor Wirici militis de\* Gruzue, coram illa cum pedissequa sua ad orationem stetit: erat autem imago, per negligentiam vt puto, sic posita, vt penè vultum totaliter haberet ad parietem: quae dum multum morosè in oculis iam dictarum feminarum se verreret, clamauit famula: Videte domina, videre qualiter imago haec regiret se; respondit illa: Et ego video. Viderunt hoc ipsum & aliae mulieres illic stantes. Vix annus expletus est, ex quo contigit haec visio miraculosa. APOLLONIVS: Quia huius sacratissimae virginis Catharinae ossa oleum stillare non cessant, certum est illam multum esse suauè ac misericordem. CAESARIVS: Virtutum earundem indicium emanans ex ossibus eius est oleum.

CAPVT LXXXIV.

**R**etulit nobis dominus Henricus Abbas de Strimenu, quòd de osse eius, dum nobis de eodem particulam frangeret, gutta olei erupit: quam ne super terram caderet, vix retinuit. Sed quid dicam de gutta, cum eius sacra tumba, sicut hi qui in instanti de Sina venerunt, testantur, oleo sit repleta? Viderunt enim caput eius cum capillis & ossibus natrare in oleo: de quo cum à monachis loci diuersa vascula sacri liquoris reciperent, tam nobis quam ceteris religiosis reuertentes, eadem pro benedictione diuiserunt. APOLLONIVS: Vellem nunc aliquas de nostris virginibus, scilicet vndecim milibus audire visiones, quae nos ad ampliorem illarum incitarent venerationem. CAESARIVS: Referam tibi quaedam, quae habentibus earum reliquias terrori sint, si circa illas fuerint negligentes: consolationi autem, si habitas venerentur.

CAPVT